

Heinrichmeyer
De iuribus
et consuetudinibus
Viennensium
forensium
Girca stup-
ria et formi-
cationes.



Z 32
I. L. HEINRICHMAYERI

SERENISSIMO MARGGRAVIO BRAN-
DENBURGENSI ET BVRGGRAVIO VTRIVS-
QUE PRINCIPATVS NORIMBERGENSIS &
COMMISSIONIBVS REI MILITARIS ET
IVDICIS PRAEFECTVRAE BAYER-
DORFFIENSIS

P 444
TRACTATIO IURIDICA
DE
IURIBVS
ET
CONSVETVDINIBVS
FORENSIBVS
CIRCA
Kp 4199a
STVPRA ET FORNICATIONES



ERLANGAE
APVD IOANNEM IACOBVM PALM
c 18 18 CCLXXXVI.

I. HEINRICI MATHATRI

MAGISTER HENRICUS MAGISTER MATHATI
HABEAT PAX IN DOMINA ET SALVATIONE
ET BLESSEDNESS IN CHRISTIANISATIONE
DEO TRINICIALE ET SANCTA MARY
CONSERVATIONIS ET MORTALITATIS
TADICIS PRO TERRITORIIS DUCENS
DORTMUNDENSIS

ARTICULATIO IVRIBIGA

20

IVRIBAS

21

CONSULETADIBAS

GERENIBAS

22

ETAPRA ET FORMICATOES



ERLANGE

THAD JOVANNEM IACOBUM PALMI

1750. 18. 1. 1750. 1. 1750.



B. L.

Nec vana gloriae cupido, nec pru-
ritus singularis eruditionis fa-
mam acquirendi, ad editionem hujus
opellae me moverunt, sed aliae po-
tius causae, quas exponendo te in
praesenti non morabor. Vtrum il-
lam utilem, an inutilem, existimaveris,
tuo me submittam Iudicio. Si me
errore quodam lapsum invenies, co-
gita, me esse hominem et Negotiorum
multitudine distineri. Si meliora me

A 2 do-

docueris, grata mente tuam agno-
scam humanitatem. Malevolorum
Censurae bilem mihi non movebunt.
Vale B. L. meisque conaminibus fa-
ve.

V.

ce amas gloriare cupido, nec pri-
mitus tibi est erubitionis fa-
tum sedemque schizionem pulu-
re obesse me mire, sed sive bo-
rum esuisse, dum exponendo te in
discerni non possem. Altera li-
teram huius, se invenimus, exiliim venientia
tao me iudicatum habeo. Si me
elitte deponet ipsius invenies, co-
gito, me esse postmodum et recessum
meum, si me iudicabo. Si mei
oppositione q[ue]d.

§. x.



§. I.

Stuprum in sensu latiori pro qualibet delicto carnis sumitur, in sensu strictiori autem significat deflorationem illicitam. Estque vel voluntarium, quod volenti, vel violentum, quod invitae, per vim infertur. Illud cum virgine vel vidua, alias honeste vivente, committitur coitu, et consummatur immissione semenis: qua non facta, attentatum solum est. Dixi honeste viventis. Nam in vilibus & corruptis stuprum non committitur. Stuprum enim privatio honestatis est ac pudicitiae. In tali autem prostibulo nulla honestas, nulla pudicitia est; ergo nulla quoque ejus corruptio, nec privatio, locum habet. Stuprum potest etiam committi in eam, quae nec consentit, nec dissentit, sed concubitus plane ignara est, e. g. summe ebriam, profundissimo somno se-

A 3 pul-



pultam. Quo in Casu stuprum nec voluntarium, nec violentum est.

§. 2.

Stuprum differt a fornicatione.

Haec est coitus cum meretrice, quae vagam exercet venerem *). Apud Romanos ea, quae quaestum corporis publice fecit, et multorum libidini patuit, pro meretrice reputabatur. Hodie autem ad ideam de meretrice formandam, non respici solet ad numerum fornicationum, nec quaestum, quem fecit, sed ea pro meretrice habetur, quae alium atque alium promiscue admittit; et nihil interest, utrum femina in domo publica, an privata scortetur, an mercedem accipiat, nec ne? Ergo ea, quae quidem plures admisit, sed successivē et ea, quae cum uno masculo saepissime rem habuit, nec non ea, quae plures quidem promiscue adhibuit,

*) L. 41. & 43. D. de Ritu nuptiarum.



7

attamen ad bonam frugem iam diu re-
diit, pro meretrice reputanda non est;
Quare masculus, coitum cum tali fe-
mina exercens, fornicationem etiam
proprie non committit, sed stuprum,
quia illa saltim actu meretrix esse non
videtur. Glossa, meretricem appellans
eam, quae plures, quam 23000. homi-
nes, admisit, ridicula dicitur *).

§. 3.

Hisce praesuppositis igitur, non est
fornicatio, si quis cum alterius uxore
meretricio more vivit, sed adulterium,
quod delictum gravius est, fornicatio-
ne, nec, si quis cum semina, plures
promiscue adhibente, in gradu prohibi-
to venereis rebus operetur. Nam hoc
dicitur incestus. Interea idem factum
potest esse incestus et simul stuprum,
vel adulterium incestuosum, vel for-

A 4

*) Capzov P. IV. C. 28. d. 1. N. 2. 3. et
qu. LXX. n. 2.

nicatio incestuosa, ita, ut tunc adsit
concurrus delictorum simultaneus.

§. 4.

Fornicatio potest etiam dividii in
simplicem et violentam. Violenta est,
si meretrix per vim stupretur. At hic
poena ordinaria, quae iure communi
de stupro violento dictata est, locum
non habet, cum leges personae honestae
laesionem, cuiusmodi tamen meretrix
non est, graviorem declarant.

Nonnulli quidem, contrarium de-
fendentes, scribunt, qualitatem perso-
nae non, sed vim adhibitam, poenam
ordinariam post se trahere, ita, ut inter
stuprum violentum & fornicationem
violentam non sit discriminus *). At enim
vero poena stupri violenti, non tam
vis adhibitae gratia, lege constituta
esse videtur, quam potius, quod per-
sonae honestae magnum praejudicium
simil infertur. Ratio, cur poena atro-

*) L. 5. §. 7. ad L. Iul. de vi publica,

cior in stuprum violentum constituta, in
vi illata et jactura honestatis aequa-
liter videtur contineri. Hinc etiam
violatio meretricis secundum imperato-
ris mentem stupro violento non accen-
setur, quamvis poena fornicationis pro-
pter vim adhibitam exasperetur *).

§. 5.

*Stuprum et Fornicatio delicta sunt
publica.*

Hi igitur, qui illa committunt, con-
tra leges peccant et statum reipublicae
offendunt; inde Domino Iurisdictionis
incumbit, in illa inquirere et ea punire.
Ad quam Iurisdictionem vero, superio-
remne, an inferiorem, pertineat Cogni-
tio de utroque genere delicti, non pri-
vati solum, sed et publici, juris est.
Sunt quidem, qui dicta genera carnis
delictorum ad Iurisdictionem vogteicam
trahere volunt, et hoc ideo, quod

A 5 . . . stupra-

*) Meisteri principia Iuris criminalis §. 252.
pag. 141.



stupratores et fornicatores hodie multa vel Incarceratione, puniri solent. Ast haec opinio mihi non videtur esse fundata. Ratio in promtu est. Stuprum et Fornicatio secundum ius Romanum publicis Iudiciis adnumerantur *) cui etiam ordinationes politiae **) aequae, ac ius saxonum ***) accedunt; nec non illa delicta carnis pro sua Ratione & qualitate, poena relegationis, fustigationis, condemnationis ad operas publicas, vindicari possunt. Nemo in dubium vocabit, quin hae poenae sint criminales et Corpus affligant, etsi, ut hodie causa aliqua dicatur criminalis, necessarium non sit, ut ea praecise & semper poenam corporis afflictivam secum trahat, sed sufficit, eandem ita esse comparatam, ut poena etiam cor-

poris

*) §. 4. Inst. de publ. iud,

**) de A. 1548. Tit. 25. & de A. 1577.
Tit. 26. §. 1. & 2.

***) Carpzov. pract. rer. crim. part. 2.
qu. 70. N. 48.

poris afflictiva probabiliter in illa locum
 invenire possit. Origo enim facti, pro-
 pter quod poena infligitur, an illud ad
 crimen publicum sit qualificatum, an
 non, attendenda, ac proin non consi-
 derandum, utrum mulcta pecuniaria, an
 vero poena corporalis, infligatur *). Et
 quis nescit, quod poena pecuniaria Fisco
 applicanda pro criminali habeatur, et
 aggratiatione Natura deiicti haud mute-
 tur? Unde sequitur, Cognitionem et
 poenam stupri ad Iurisdictionem inferio-
 rem nequaquam referendam esse. Si
 itaque maxima pars statuum circuli fran-
 conici, utpote Ansbac, Baireuth, Bam-
 berg, Hohenlohe, Castell, Oettingen,
 Schwarzenberg, Rothenburg, Pappen-
 heim, et nobiles de Iurisdictione crimin-
 ali iuvestiti, delicta carnis supra dicta a
 Iudiciis criminalibus vindicari faciunt,
 fundatam intentionem habere, existimo.

Ce-

*) arg. L. 1. C. de Lucr. descr. imp. L. 8.
 pr. mand. Coler de Proc. exec. P. 2.
 C. 1. n. 140. Carpz. pr. crim. qu. 109.
 n. 40. & 62.



Ceterum tamen negandum non est, quin stuprum et a catholicis et ab evangelicis, delictis quidem ecclesiasticis annumeretur, non vero meritis, sed mixtis. Unde descendit poena ecclesiastica nempe poenitentia ecclesiastica, vel illius surrogatum e. g. die Stroh Kranz Gelder. Haec vero poena non tollit poenam stupri secularem, quia simul est delictum seculare.

§. 6.

Cum stuprum commixtione carnaли consummatur, ei Iudici, qui jurisdictionem loci delicti commissi habet, competit plerumque cognitio sine discrimine, utrum Impraegnatio ex Coitu subsecuta sit, an non; dum haec tanquam effectus delicti ad ejusdem essentiam non pertinet *). Abstrahendo tamen a particulari observantia, et forum delicti et

domi-

*) Meister vollständige Einleitung zur peint. Rechtsgelehrsamkeit in Teutschland 4. Theil §. IX. pag. 636.

domicilii, iure communi fundatum est.
 Utrum vero hoc, an illud in dato Casu
 competens sit, ex praeventione diju-
 dicandum est. Nostris autem in terris
 viget in praefecturis observantia Iudi-
 cis, apud quem stuprum se manifesta-
 vit, forum fundari, adeo ut remissio
 delinquentium ad forum delicti non fa-
 cile concedatur.

§. 7.

In delicto stupri indicia ad inquisi-
 tionem reputantur sufficientia a) si fama
 communis, bb) si solutus cum soluta
 reperiatur in cubiculo clauso ad coitum
 dispositus, et Caligas habens solutas,
 ipsaque femina aperire ostium recusa-
 verit *); aut c) quando solutus cum
 soluta sola visus fuit per nemora &
 vias occultas spatians et simul ipsam ex-
 osculans, luxuriosoque tactu & amplexu
 lascivo premens; d) si penes personam
 mehius. *) ibidem autem in eam vel
 *) Menoch L. 50 praesumt. rr. N. 9. Mag-
 nus card de probat. Vol. 1. Concl. 59. N. 10.



vel eum, qui cum illa stuprum commis-
sse dicitur, invenirentur litterae ama-
atoriae ita conceptae, ut de confessio-
ne criminis ex iis constare Iudici possit.
e) si quis in domo pulchrae feminae oc-
cultatus fuerit inventus, aut domum
ejusdem die noctuque frequentare so-
litus. f) obstructio mensium, g) femi-
nae appetentia, nausea, h) vomitus
matutinus, i) ephelides faciei k) lac in
mammis, ex quibus circumstantiis a Lit.
F. usque K. enumeratis maxime Impra-
gnatio etiam arguitur. Quodsi plura ho-
rum Indiciorum adsint, Iudex feminam
stupri vel impregnationis suspectam,
examinandi, et si neget, et praesertim
vilis conditionis sit, adeo per obste-
trices sacramento obligatas visitandi fa-
cilitatem habet. Cum autem Iudex,
temere ad visitationem procedens, aetio-
nem injuriarum expectare debeat, quae-
ritur, quot quantaque indicia adesse de-
beant, ut ius visitandi adsit? Evidem
puto, ea tot tantaque adesse debere,
or. N. q. 2. C. 1. fol. 130v ab 130v quot

quot et quanta requiruntur ad genera-
lem bonitatis praesumtionem vincen-
dam. Si femina, facta inspectione ven-
tris, innocens reperitur, haec visitatio
iacturam existimationis ejus facere haud
potest; alio in casu Iudex tamen illam
a proposito facinore, e metu ignomi-
niae ordinarie oriundo, quod ex cela-
tione impraegnationis semper praesu-
mendum, avertit.

§. 8.

Sola inculpatio defloratae vel im-
praegnatae nullam fidem meretur, cum
iura nostra omnibus in re propria di-
cendi testimonii facultatem submove-
rint *), nullumque in propria causa
idoneum testem esse voluerint **) sed
potius afferenti ejus, quod intendit,
probandi necessitatem imposuerint ***)
ita, ut paria in iure sint, non esse et

non

*) l. 10. C. de Testib.

**) l. 10, ff. eod.

***) l. 2, ff. de prob.



non apparere, sive non probatum esse. Quodsi enim inculpare & accusare sufficeret, quis esset innocens? Femina ejusmodi etiam propriam turpitudinem allegans, assensum non meretur, praesertim si in praejudicium tertii sit *); atque haec etiam obtinent, licet femina in extremo vitae articulo aliquem de stupro vel adulterio inculpaverit **): Licet enim illis, quae homo, dum in extremis laborat, enunciat, plurimum fidei tribuatur, dum eo tempore praesumitur, veritatem dicere, nec immemor esse salutis aeternae; cessat tamen illa praesumptio veritatis, si agatur de praejudicio tertii, cui morientis confessio nullo modo obest ***). Nec plenam ejusmodi designationi mulieris conciliat fidem, quod in stricto partus dol-

*) arg. l. 5. Co. de cond. ob turp. Caus. l. 16. C. de transact.

**) l. 3. §. 1. ff. de Sct. syllan.

***) Mascard de prob. V. I. Conf. 144. per tot.

dolore ab obstetricibus sub comminatione aliqua, vel facta mortis annunciatione, compulsa sit parturiens, stupratorem indicare.

Idem dicendum, si stuprata aliquem, mediante sacramento, patrem infantis sui designaverit. Sponte enim & in propriam utilitatem iurato quid afferentibus non creditur, cum omnis fere iuramenti vis a delatione dependeat *). Nec fidem merebitur femina, si in designatione variet, vel locum, annum, mensem, diem, ad quod tam de iure tenetur, exprimere non possit. Ex quibus non difficulter & id colligi potest, ne sacerdotem quidem, nisi alia ad inquisitionem sufficientia concurrunt indicia, ex hac feminae designatione sola suspendi ab officio posse. Nec iudex ex hac sola designatione ad Capturam procedere aut personam stupri, insimulatam in Carcerem rapere aut contra

*) Farin. op. cr. p. 4. l. 1. Conf. 43. N. 5.



tra talem ad specialem inquisitionem procedere potest, cum ad id inculpationes sociorum criminis nudae, atque qualitatibus destitutae, nullatenus sufficiant *).

§. 9.

E contrario stupratae inculpatio meretur magnam attentionem, si 1) ea, extra stupri patientiam, illaesae famae, et vitae **); stuprator ab illa designatus contra, talis persona sit, quae in fama vitae honestae non est, et in quam suspicio stupri eadere potest, 2) si talis femina inculpans intelligat, quod, si falso aliquem de stupro secum commisso accuset, poena gravior sibi infligatur ***). 3) si parturiens in mediis partus doloribus in designatione sua constantissime perseveret. Porro ipsi mere-

*) Tabor. Tr. de Confront. D.I. Th. 35.

**) Mev. p. 3. Dec. 73.

***) Lauterb. in Resol. leg. obſt. Tit. de iurejur. qu. 2. p. 180.

meretrici aliqua fides habenda esse videtur, si generaliter de Fornicatoribus interrogata, aliquem fornicationis accuset, et socium criminis depingat ab imis unguibus usque ad verticem summum, nec non de loco & tempore, quo delictum perpetratum, aliisque de circumstantiis, ex quibus postea reprehendere potest iudex, an verisimilis sit proditio sociorum, nec non *)? indicet, praesertim si reus etiam talis sit persona, in quam criminis suspicio facile cadere potest, & quando meretrix in Nominatione socii criminis perseveret, eamque non revocet, nec vacillet. Hisce sub circumstantiis Iudex facultatem contra stupratorem vel fornicatorum nominatum procedendi et eum, si suspicio fugae adest, ne Iudicium, si designatus se subtrahat, fiat elusorium, arrestandi, quod multo mitius & cibilius est minusque ignominiosum, quam

B 2

incar-

*) Ord. C. art. 31,



incarceratio *). Stuprator autem non possessionatus in arresto est detinendus, usque dum caveat, de Iudicio sisti et Iudicatum solvi, idque vel pignoribus, aut fidejussoribus, vel saltem iurato **).

§. 10.

Quodsi reus factum in examine iudiciali, ut & in Confrontatione ipsa, negat, indicia tamen & praesumtiones urgentes, quas elidere nullo modo potest, contra illum militant & stuprum probabile faciunt, a Iudice Iuramentum purgatorium ipsi imponi potest ***). In Borussia vero vitiata vel deflorata hoc in casu ad Iuramentum suppletorium admittitur ****). Deficiente statuto, res

est

*) Mev. p. 3. dec. 73.

**) Carpz. Iurispr. eccl. 1. 2. def. 241.

***) Brunnemann in Iure eccl. protest. i. 2. Cap. 18. §. 29.

****) Entwurf eines allgemeinen Gesetzbuchs für die Preußischen Staaten §. 801 802. 803.

est arbitrii Iudicis. Nam Iudex, si major perjurii metus ex parte Rei, quam defloratae, apparet, quamvis argumenta ab hac allata ambigua sint, secundum Hadriani in L. 3. §. 2. de Testibus praeceptum, ex animi sui sententia, quid, aut credat, aut parum probatum sibi opinetur, aestimare, et, si animus magis in defloratae partes propendeat, hanc ad Iuramentum suppletorium admittere debet.

§. II.

Stupratori, exceptione fornicationis, vel congressus cum aliis, contra defloratam utenti, regulariter incumbit onus probandi. Per conjecturas leviores tamen e. g. per munuscula ab aliis viris accepta, nil probatur, ne quidem ad effectum jurisiurandi purgatorii. Probatur autem per indicia graviora e. g. quod stuprata cum alio in uno lecto cubuerit *).

B 3

§. 12.

*) Leyser spec. 583. med. 21. 22.

non
us,
et
us,
**).

iu-
sa,
nes
est,
ba-
rga-
Bo-
in
ad-
res
est

est:

ex-
bor



§. 12.

Stuprata tamen, quae inculpatiō-
nem suam circumstantiis & praesum-
tionibus suffulcire non potest, adeo,
ut stuprator designatus sine Iuramenti
purgatorii praestatione ab inquisitione
absolvatur, actionem civilem sibi com-
petentem, quae ad satisfactionem pri-
vatam, & alimentationem infantis, ten-
dit, haud amittit; sed potest potius,
hac absolutione non obstante, civiliter
agere contra stupratorem, & ad fun-
dandam actionem suam omnibus Reme-
diis probatoriis uti, quae ius civile per-
mittit; quare illa etiam Iuramenti de-
latione gaudet. Quamvis enim olim de
eo dubitatum, atque a multis, jusju-
randum in Causis famosis deferri non
posse, creditum fuerit; vicit tamen
Iamdiu in Collegiis & Iudiciis ea sen-
tentia, quae juramentum in Causis fa-
mosis, si civiliter agatur, deferri per-
mittit, tanquam juri convenientior. Ve-

rum

rum isthaec via, quam trita, plana &
 ingressu facillima quoque sit, infelicem
 tamen semper fere habet exitum. Rei
 enim, postquam semel negare coepe-
 runt, rarissime jurisurandi religione ab
 hoc proposito absterrentur. Ex centum
 Reis, quibus iusiurandum de stupro de-
 latum fuit, unus forsitan erit, qui con-
 fiteri, quam iurare, malit. Reliqui in
 hac summa hominum corruptione in-
 trepidi iurabunt, parum solliciti de futu-
 ris conscientiae expurgiscentis morsibus.
 Ideoque Iuramenti delatio dissuadetur
 et melior ostenditur probatio, nempe
 artificialis, seu per conjecturas, quae,
 quamvis primo intuitu infirmae videan-
 tur, tamen in unum collectae aliquan-
 do juriiurando suppletorio aut saltem
 purgatorio locum faciunt, quo ultimo
 iuramento actrix plus fructus, quam
 ex delato, capit. Nam deflorata a ju-
 ramento Calumniae, quod in delatio-
 ne praestandum erat, se liberabit &
 spem habet, Reum, maxime si facto



aliquo suo suspicioni causam dedit, in expensas, quae propter iurisjurandi delationem semper compensantur, damnatum iri.

Caeterum adhuc est monendum, quod stuprata etiam actionem civilem, de qua sermo erat, elapso post stuprum quinquennio, instituere possit. Lex Iulia enim, ex qua quinquennii praescriptione poena stupri tollitur, ad interesse partis et actionem civilem extendi nequit *).

§. 13.

Interdum contingit, ut persona quaedam de aliquo fornicationem falso criminetur, quo in casu, illa, ob dolum atque alias concurrentes circumstantias, non tantum ad Revocationem vel depreciationm accusato faciendam adigi, sed etiam incarceratione, vel relega-

*) Carpz. pr. rer. crim. p. II, qu. 58.
n. 45. 46. 47.

legatione, vel adeo poena corporis afflictiva, coerceri potest*).

§. 14.

Ad mala majora evitanda, fornacatio apud Romanos, usque ad imperatores christianos, extra poenam erat, quum lupanaria publice tolerarentur, ob rationes politicas; nunquam autem virtutibus accenserentur, ut quidem rite iudicat Leyser spec. 581. med. 16. Omnes meretrices apud Aediles Nomina profiteri sua debebant, ad decimas vel Censum pro lactis praestandum, quem vulgo dicunt: *Huren Zoll*, alias multabantur, aut bonis, aut aliquando exilio **). Mulieres quaestuariae tamen infames erant ***) ac vestitu

B 5 pecu-

*) L. 13. D. 1. 22. C. ad L. Iul. de adult. L. 43. de R. N. 1 penult. de his, qui not. infam. 1. 15. de injur.

**) Liv. lib. 10. 25.

***) L. 43. §. 4. de R. N. Pr. ff. de his, qui not. infam.



peculiari a matronis honestis discernebantur.

Frequentatio lupanarii quidem cum aliqua poena non erat conjuncta; attamen a Censoribus notato, qui lupanaria frequentabat, munus publicum quaerenti objiciebatur ut vitium *).

§. 15.

Majores nostri fornicationem a stupro accurate non distinguebant, sed delictum carnis apud eos generatim existimabatur pro vitio magno **). Stupratores ad pecuniariam compositionem adegerunt: Stupratas aut infamia notabant, aut haereditatis parentum exsortes esse jubebant ***). Politiae ordinationes imperii de 1548. & 1577. prohibent quidem fornicationem, sed ejusdem poenam accurate non consti-

*) L. 25. C. ad L. Iul. de adult.

**) Tacit. de moribus germanor. C. 19.

***) Heinecc. in Elem. Iur. German 1. 2.

§. 176.

stituunt, unde de fori usu poenae arbitriae locus est. In masculo poena est carceris; eademque intuitu metrericis locum habet, si clam exercuit artes suas; Si autem palam hoc fecit, relegari solet. Tolerantur tamen, in majoribus praesertim civitatibus, academiis, partim connivendo, partim publica auctoritate, ut alia mala evitentur.

Interdum quoque fustigatur, si nuda in loco publico se prostituit, vel si morbo gallico, similiue tabe, alias infecerit. Interim nec hoc in supradictis, aliisque, locis observatur, nec semper observari potest; quoniam ejusmodi morbis infecti sua mala suppressientes impediunt, quo minus ad magistratus aures pervenire queant. Optandum igitur esset, ut infectae ejusmodi mulieres magistratui indicarentur. Metrrices etiam a vicinis ex vicinia expelli possunt.

§. 16.



§. 16.

Mulier quaestuaria non potest aliquid a fornicatore exigere, neque contra hunc ad infantii alimenta praestandum, neque ad solutionem ejusdem pecuniae summae, quae illi in concubitus praemium promissa est, de jure agere *), attamen ad Retraditionem mercedis, a fornicatore semel acceptae, adigi nequit **).

§. 17.

Apud Romanos, stupratores honesti dimidiae partis bonorum publicatione, viliores corporis coercitione & relegatione ex lege Iulia de adult. puniebantur ***). E contrario stuprata, reputabatur jam satis punita, intuitu amissi

*) L. 26. de V. O. L. 8. ff. & L. I.
§. 5. de Condict. ob turp. Caus.

**) L. 3. L. 4. §. 3. de Condict. ob turp.
Causam.

***, §. 4. Inst. de publ. iudic. L. t. §. 2.
de extraord. crimin. Baeser de poen.
stupri Gieff. 1736.

amissi honoris sui *). Ius canonicum vero **) sanciebat quidem de stupro poenitentiam ecclesiasticam, quae tamen postea ejusdem fini non amplius respondebat, dum ea redimi poterat ***)). Ergo stuprum secundum juris canonici principia pro delicto ecclesiastico existimabatur, in quod tantum a foro ecclesiastico animadverti poterat ****)). Hinc factum est, ut in C. C. C. de punitione stupri voluntarii nihil sancitum sit. Cum vero multi per Reformationem melior rem rei cognitionem accepissent, stuprum trahebatur ad iudicia secularia. Nam id pro tali delicto, quod a Iudice ecclesiastico tantum coerceri potest, amplius non reputabatur. Ast in multis locis tamen Iudicia ecclesiastica in possessione

*) L. 20. C. ad l. Iul. de adult.

**) C. 2. X. de adult. C. 3. X. de poenis.

***) Kress von dem Archidiaconal Wejen des Hochstifts Osnabrigge p. 271.

****) Quistorp Grundzäze des Teutschen peinlichen Rechts §. 476. p. 741.



sessione vel quasi juris stuprum cognoscendi et id Censura ecclesiastica coercendi manebant. Ita evenit, ut in ejusmodi locis, stuprum crimen habeatur mixtum, quod dupli modo punitur.

§. 18.

Quod attinet poenam, quae a stuprum committentibus hodie sumitur, scilicet in Judicio seculari, haec fere arbitrio Iudicis ubique locorum relicta est; tamen hoc cum discrimine, quod ea, elapso quinquennio, secundum legem Iuliam locum non amplius habeat. Nam publicatio bonorum dimidiae partis hodie cessat. In nostris Terris stuprum ordinarie vel poena pecunaria, vel condemnatione ad operas publicas (*zum Chauffee Bau*) secundum regulam juris: qui non habet in aere, luat corpore, coercetur. Si autem stupro aliae circumstantiae, delictum aggravantes, accedunt, poena ad fustigationem, quinimo ad ultimum suppli

plicum extendi potest *). Attamen puto, hanc tantum tunc obtinere, ubi stupro aliud Crimen capitale accedit, e. g. crimen laesae majestatis vel Superioritatis territ.: Haec autem poena proprie non dici potest poena stupri. Nam cum hoc in casu adsit concursus simultaneus et stupri et criminis laesae Majest. et utriusque quidem poena in se promerita sit, propter concursum vero poena major minorem plane absorbeat, atque hac ratione poena criminis laesae majest. poenam stupri absorbeat, poena absorpta vero plane cesseret: posito hoc casu, nulla prorsus stupri, sed sola maioris delicti, poena adest. Ita etiam gravius punitur Stuprator 1) si stuprum do-lo vel aliqua violentia commisit, vel alia delicta, nimirum incitus concur-rant, 2) si Stuprator stupratae obser-vantium debuit, velut si famulus heri filiam

*) Meisteri principia iuris criminalis §. 243.
p. 133,

filiam vel sororem stuprat, 3) ob sanctitatem loci, si quis puellam in Convictu, vel aula principis, viventem carnaliter cognoscit, 4) si stuprata in stupratoris potestate fuit e. g. si curator cum pupilla, vel Ludimagister cum discipula, rem habuit, vel si quis mulierem captivam, custodiae suaem commissam, stuprat. 5) Si stuprum intra annum luctus commissum propter confusionem sanguinis, habita tamen temporis mortis conjugis ratione; 6) si stuprum puellae impuberi, licet consentienti, illatum. Nonnulli quidem I. Cti sunt, qui etiam volunt, ut stuprum Iudaei cum christiana perpetratum poena corporis afflictiva coercentur *). At enimvero hic nulla alia poena, quam ea, quae communiter contra stuprum valet, locum habere potest, nisi circumstantiae singulares & atro-

*) Carpz. qu. 69. n. 43. qu. 76. N. 66.
Harpr. dec. 51. N. 25.

atrociores duriorem poenam exigant *).

§. 19.

Poena stupri & fornicationis ordinaria obtinet, licet seminis immissio actualiter non secuta sit. Nam utrumque delictum pro consummato habetur, dum modo immissio membris virilis per utriusque delinquentis confessionem probari possit **). Attamen mitigatur poena, a) si stuprum non consummatum, sed attentatum, b) si quis illud non dolose, sed culpose, commisit, c) si vel personae despensatae ante benedictionem sacerdotalem fese commiscuerint, deinceps matrimonio iungantur.

*) Struben in den 4. Theil der rechtl. Bedenken N. 110. Hommel Rhapsod. quaest. in foro quotid. obven dec. obs. 426.

**) de Boehmer ad artic. 121. C. C. §. 19. Quistorp Grundsäze des teutischen peinl. Rechts 1 Theil §. 473. p. 737.



gantur. Hoc proprie dicitur concubitus anticipatus, cuius poena est pecuniaria modica, quae plerumque prorsus cessat, si Uxor post 182. diem infantem peperit, quia Partus die 182. editus habetur pro legitimo, sicut quisvis septimestris. Si tamen concubitus anticipatus rite probatus est, nihil, ut mea fert opinio, refert, quo tempore Uxor pariat. Quod enim ejus poena cesseret, si uxor post diem 182. ab inito matrimonio pariat, hanc habet rationem, quia hoc casu concubitus, ex quo Uxor concepit, durante matrimonio contigisse praesumatur. Sed cum tamen haec praesumtio cesseret, si vel utriusque confessione vel alia probatione de anticipato concubitu constat, quandoquidem praesumptioni tantum in dubio locus est: tunc poenam anticipati concubitus non cessare patet. Nam, ubi delictum, ibi poena.



§. 20.

Supra jam deduximus, Cognitio-
nem de stupro & fornicatione ad Iu-
dicem secularem Iurisdictionem superio-
rem habentem regulariter pertinere. Da-
tur etiam casus, ubi impregnata ad satis-
factionem privatam agit, quando stupra-
tor, Iuramentum purgatorium praesti-
tit, vel alio modo a poena se libera-
vit; hoc in casu actio quidem in foro
civili institui potest. Aet instituta con-
tra stupratorem semel inquisitione, stu-
prata adhuc potest actione civili ad
dotem vel alimenta experiri, atque
uterque processus simul tractari *); Unde in Principatu baruthino stupratae
in foro criminali adjudicantur 8. fl. pro
puerperio & satisfactione, excepto ta-
men casu, si deflorata ad consumma-
tionem matrimonii promissi agit; nam
hujus causae decisio pertinet ad con-
fistorium.

C 2

§. 21.

*) Bertoch prompt. Iur. sub voce stuprum
§. 46.



§. 21.

Iam §. 17. diximus, Romanos stupratam propter amissionem honoris sui jam satis punitam, existimavisse. Verum enimvero hodie ea, secundum fori Usum similiter puniri solet; attamen in nonnullis foris obtinet Consuetudo, stupratorem, ob inopiam stupratae, expensas iudiciales & mulctam pro ea solvere debere, id quod etiam aequitati conveniens esse videtur; haec aequitas in eo sita est. Stuprator in dubio stupratam seduxisse praesumitur. Igitur partim qua delinquens, partim qua seductor et socius stupratae spectandus est, et ei et proprium et alienum delictum imputatur. Quatenus proprium delictum spectatur, propriam poenam luit. Qua socius stupratae pauperis in causa est, daimni, quod Iurisdictionis domino inde oritur, quod propter stupratae insolventiam poena, quam pauper stuprata solvere debuisset, carere debeat.

debeat. Id vero damnum socium refarcire, omnino aequum est.

Impraeignata etiam, si pauper sit, neque ante, neque post puerperium saltim tam diu, donec infans a lacte depeccatur, victum quaeritare, neque Expensas baptismi quidem solvere potest. Ergo si parvum Satisfactionis quantum ipse non maneret salvum, sed de suo adhuc plura solvere deberet quam praestare potest: stuprata, omni misericordia digna esset, ut ideo aequitas naturalis exigat, se operam dare, suam conditionem duram, ad infanticidium caverendum, quod fieri potest, tolerabiliorem facere. Stuprator autem est non tantum causa physica sed etiam moralis, ideoque etiam in sua Conscientia obstrictus, miseriam stupratae lenire, et potest etiam tantum pecuniae, quantum pro stuprata ratione expensarum solvit, facilius acquirere; et adhuc in nostris Terris habet beneficium, sese ab alimentatione partus per numerationem 20. fl. (§, 32.) in



totum se liberandi, licet in aliis Regionibus siuprator majus quantum praestare cogatur. De his 20 fl stupratae annuatim non amplius, quam 2. fl. solvuntur, cum quibus ei impossibile est, infantem alere, si alia subsidia ei defunt, nec facile acquiri possunt.

§. 22.

De Infamia ex stupro oriunda quatuor sunt diversae Iuris Consultorum sectae. Quidam illorum infamiam propter stuprum irrogari, plane negant. Alii infamiam facti quidem ex stupro oriri, sed illud aditum ad honores & Collegia modo praecludere, non vero ab iis, quae quis iam obtinuit, removere, dicunt. Iterum alii solam quidem Infamiam facti admittunt, sed hanc & ab officiis obtentis & obtainendis excludere perhibent. Denique allii infamiam Iuris, quae reum omnibus honoribus & Collegiis indignum faciat, ob stuprum irrogant. Enimvero hae diversae opiniones

niones se fundant in jure Romano, cuius principia vero moribus nostris in substrato non valent, quia judices fornicationem & stuprum, deficientibus aliis circumstantiis, delictum aggravantibus, poenis pecuniariis vel Carceris persequi solent *). Etiam in Germaniae provinciis multa exempla citantur, ubi stupro infamia non irrogatur; viget consuetudo fere universalis, vi cuius nemo, qui stuprum commisit ad testi, monium perhibendum incapax est **), nec iura Collegii opificum amittit, nec de gradu dignitatis vel officii dimovetri solet ***); Nisi sint Pastores et ejusmodi personae, in quibus stuprum, magnum scandalum aliis praebet, quales sunt Cultores Theologiae et Candidati ministerii, qui, si contra sextum peccarunt, vitae genus mutare coguntur;

C 4 tur;

*) Mev. ad Ius lubec. P. 4. Tit. 4. art. 1.
p. 796-

**) Pufendorff Tom. 2. obs. 18.

***) de Cramer Tom. 4. obs. 1137.



tur; interim tamen non fiunt infames *). Nam tantummodo hoc in Casu infamiae locus datur, si talis poena decernitur, quae infamiam secum trahit, & si quis cum aliqua persona, meretricio more vivit. Haec infamia tamen facti, non autem iuris est, quae etiam cessat, si quis a vita turpi desistit et matrimonium ineit**). Concubinatus multis in locis vix infamiam facti producit.

§. 23.

Praeter poenam, quae stuprum sequitur, stuprator etiam obligatus est, 1) ut foeminam stupratam ducat vel dotet, 2) ut infanti ex stupro procreato alimenta subministret. Quoad prium scribit quidem Carpz. in pract. rer. erim. p. 2. qu. 68. N. 4. quod Iusdivinum forense requirat, ut stuprator

stupra-

*) *Struben in dem 2. Theil der rechtl. Be- denken N. 90.*

**) Berger. Oecon. Iur. L. I. Tit. 2.
Th. 14. N. 3.

stupratam ducat et dotet, allegat locum ex Exod XXII. v. 15. 16. & 17. & Deut. XXII. v. 29. At conjunctio copulativa *Et*, minime in lingua originali est invenienda. In priore loco citato sermo est de stupro voluntario, quod indigitat verbum יְפַתֵּח persuaserit vel pelleixerit eam. Neutquam vero in stupratoris arbitrio erat, utrum defloratam in Uxorem ducere aut dotare vellet. Ius eligendi pater habebat. Si hic consentiebat, filiam suam Uxorem stupratoris fieri, tunc hujus erat, eam qua talem accipere et dotare.

In posteriori loco autem obligatus erat, defloratae tantum pecuniae iuxta modum dotis numerare, quantum virgines accipere consueverunt.

In Deut. XXII. v. 28. 29. vero manifeste de stupro violento sermo est, id quod intelligitur per verbum נִשְׁבַּע וְנִתְּנָה comprehendit vel violavit eam. Hic stuprator patri puellae, vi stupratae, dare tenebatur quinquaginta siclos argenteos & insuper ducere virginem de-

C 5 floratam

fa
in
pe
um
a,
nia
ae
tit
us
o-

e-
t,
el
a-
ri-
t.
s-
or
a-
e-



floratam fibi in Uxorem. Quod si ita Ius canonicum sequatur Ius mosaicum, ut stuprator nempe defloratam in Uxorem ducere et dotare debeat *), id secundum proprium sensum legis mo- faicae, tanquam Relati interpraetandum esset. Moribus hodiernis stuprator stupra- tam aut ducere aut dotare tenetur. Hoc in certo respectu fundatum est, idque tam ex jure Romano, quam canonico et stuprator, qua debitor, gaudet electio- ne **). Ratio obligationis stupratoris in eo sine dubio quaerenda est, quod ob fragilitatem sexus muliebris, femi- na a masculo ad stuprum sedueta pre- sumitur. Facto coitu illico haec ob- ligatio ipso iure adest, quamvis de hoc tempore stupri nulla facta sit mentio. Nec ea etiam cessat, licet per non factam seminis immissionem stuprum non consummatum sit. Sufficit 1) immis-
nem

*) Cap. 1. & 2. X. de adult.

**) ReinhARTH de Iur. eligend. ex oblig.
altern. Erforth. 1711.

nem membra virilis in vulvam subsecutam esse, etiamsi mulier inde partum non conceperit, nec ansam stupro praebuerit, 2) etiamsi vidua sit. In seductione enim ad coitum ratio fundata est. Onus ad dotandum ipsum transit ad haeredes. Huic obstat qui-
dem videtur, quo minus actiones **ex**
delicto transeant ad haeredes.

At, quamvis hoc in jure Romano fundatum est, jus canonicum tamen ab illo discedit *). Secundum posterius enim, haeredes tenentur ex Massa haereditatis, satisfactionem praestare, sit actio ad hanc a deflorata jamjam instituta, nec ne. Haeres vero electionem non habet, defloratam Uxorem sibi adjungere, sicut Leyser spec. 58 med. 13. contendit, quia alternativa obligatio, tantum in favorem defloratae, stupratori imposita est. Quando stuprator moritur, nihilque relinquit, tunc illius haere.

*) Cap. ult. Decr. de sepultura Cap. 5.
Decr. de Raptu.



haeredes obligati non sunt, stupratam dotare. Cessat etiam obligatio ad dotandum morte stupratae, adeo, ut illius haeredes contra stupratorem ad dotem consequendam agere nequeant, nisi actio, illa adhuc vivente, instituta iam esset.

§. 24.

Vi regulae stupratori est electio, stupratam vel ducendi vel dotandi. Ast haec electio locum non habet 1) quando mulieri matrimonium promisit & illa sub spe matrimonii promisi in concubitum consensit *), aut 2) si stupratae nullam satisfactionem ex propriis bonis, vel impositum satisfactionis quantum, intra spatum datum, praestare nequit **). In utroque enim casu stuprator praecise stupratam duce-re cogitur. Hoc confirmat quidem principium conjugii coacti, et coactio

*) Boehmer ad Carpz. qu. 68. N. 10.

**) Wernh. p. 2. Enunc. 364. Berger
Oec. Iur. L. III. Tit. 2. §. 4. N. 7.

absoluta repugnat prorsus naturae & omnibus matrimonii finibus. Interim vero stuprata saltem, si ad consummandum matrimonium agat, per sententiam & de iure pro uxore stupratoris esset declaranda. Cardo causae tum in eo vertitur, utrum stuprator se accommodabit, per copulationem sacerdotalem matrimonium consummare, nec ne? In casu posteriori, matrimonium quidem per divortii sententiam iterum dissolvi poterat, stupratae tamen nihilominus jus manere debebit, omnibus separatae Uxoris juribus fruendi; haec esset, ut opinor, indemnatio, quae stupratae a stupratore, expectanda, et quae magno detimento, quod illa per stuprum, ratione futurae sortis suae, perpetua est, conveniens esset.

§. 25.

E contrario vero stuprata, ad consequendam dotem, actionem instituere potest

tam
do-
lius
tem
tio,
sset.

nsis
mob
tio,
ndi.
c 1)
issit
i in
si
pro-
ctio-
um,
nim
nce-
dem
ctio
bfo-
ger
7.



potest, si stuprator post stuprum Commissum, aliam in matrimonium ducit. Nam dos est solvenda pro aliqua indemnitate de floratae in compensationem denegati matrimonii, quia illi, per stuprum, occasio, pro re nata opportune nubendi ademta est. Ex quo sequitur, ut 1) stuprata dotem exigere possit, licet ea, ob suorum parentum pauperiam, conjugi suo nullam adferre potuisset dotem 2) ut ea dotem, tanquam rem suam privatam, acquisiverit, et in tali qualitate suis haeredibus relinquere possit, 3) ut quantitas dotis non secundum stupratoris statum, illiusque bona, sed Potius eo respectu consideretur, quantum dotem ea, aut ut vidua, aut ut virgo, actu jam acceperit, aut accipere potuisset, si ante stuprum more honesto nupsisset. Si stuprata plane opibus esset destituta, illius status est ponderandus, et dos iuxta eum determinanda. Reo vero parum prodest,

dest, quod mediocria tantum pos-
deat bona, eique parum de illis tunc
restet, si satisfactionis quantum pree-
stare debeat *). Tenetur stuprator hanc
dotem mulieri stupratae solvere statim
post stuprum illatum. Neque enim
necessae est, ut expectetur tempus nup-
tiarum ipsius puellae. Tum quia poe-
na est, tum quia fieri posset, ut mu-
lier stuprata nunquam inveniret virum,
& ideo stuprator remaneret impuni-
tus, quod sane iniquissimum esset.

§. 26.

E contrario stuprator certis in
casibus, nec ad dotandum, nec du-
cendum, obligatur. Huc pertinet a)
si ipsa deflorata per suam propriam
vitam dissolutam, aut per peculiarem
lasciviae gradum, stupro occasionem
dedit **) b) si postea stuprum cum
alio

*) Schorch sent. 231. n. 13. Mey. ad Ins
Lubec p. 4. Tit. 4, art. 1. N. 24.

**) Leyser spec. 583. N. 12.



alio denuo commisit *) c) si tempore concubitus stuprator cum puerula, vel vidua, de certo pretio convenit, quo contenta esse cogitur stuprata, quae tanquam meretrix pro certa mercede pudicitiam prostituit **), d) si in designatione patris variat, ***) tunc enim ex confessio obstat exceptio fornicationis e). Si porro stupratorem electione inter ducendum & dotandum ei competente privavit, & antequam hic se declaravit alii nupfit ****), attamen hanc electionem stuprator quoque amittit mora, ab illo in eligendo contracta, ita, ut liberum deinceps sit auctrici, alii nubere et uhilosecius petere dotationem †) f) si

*) Berger oecon. I. L. 3. Tit. 2. Theo, 4. N. 7.

**) Mev. ad I. Lub. l. 4. T. 5. art. 1. n. 26.

***) Hommel raps. suppl. obsf. 579.

****) Boehmer in Iur. eccl. prot. T. de spons. §. 55.

†) Berger. c. 1.

si stuprator stupratam in uxorem duce-re paratus est, ea vero nuptias renu-at *), g) si stuprata a marito, viven-te adhuc ejus conjugē, sub spe ma-trimonii se impregnari permittit **)

§. 27.

Progrediamur nunc ad secundam obligationem stupratoris, id est, ad infantis alimentationem. Leges civiles imponunt cuilibet patri, consequenter etiam stupratori, onus, infantem suum alendi, secundum illud tritum: *Wer Kinder zeugt, muss sie auch ernähren.*

Ratio in promptu est, ne scilicet reipublicae onus alendi imponatur. Huic enim multum detrimenti exinde nasce-retur, si omnes infantes, quibus pa-rentes vitae necessaria denegant, alere

tene-

*) Ziegler ad Lancell. l. 4. Tit. 8. §. 3.
verb. si vero pater.

**) C. C. X. de eo qui dux. in matrim.
Boehmer in Iure eccl. prot. l. 4. Tit. 7.

§. 5.

D



teneretur. Quamdiu igitur parentes, legiti mi aut illegiti mi, in eo statu sunt, ut liberorum suorum vitam, conservare queant, ab obligatione illos alendi neutiquam sunt liberi. Haec obligatio manet etiam 1) si maxime stuprata satisfactioni suae renuntiasset, 2) si de alimentis in praeiudicium infantis transegisset. Nam per ejusmodi transactionem infans non obligatur, nisi matris haeres sit. Stuprator etiam ad transactionem cum stuprata propter infantis alimenta initam, in hujus incommodum nunquam provocare potest *). Nec infanti praejudicium oritur, si stuprator in transactione paternitatem neget, sed unice pro redimenda vexa aliquid pollicitus sit. Ex hoc oritur potius prae sumtio juris, ut pro patre infantis tam diu habeatur, donec contrarium probetur **).

§. 28.

*) Boehm. Conf. & dec. Tom. 2. Resp. 584.
n. 10.

**) Leyser spec. 583. med. 1. & Coroll.
2. Boehmer Tom. II, Resp. 584. N. 10.

§. 28.

Quamvis stuprator ad alimentationem partus obstrictus est, tamen ei competit beneficium competentiae, et tunc stupratae soli onus alendi incumbit, si pater ipse bonis plane est destitutus *). Illa obligatio vero praesupponit, quod stuprator vel infantem ipsum pro suo proprio declaret, vel quod probatum sit, ejus patrem esse. Sufficit jam, si concubitum illicitum non neget, aut si ille probatus sit; stuprator tamen ad alendum infantem haudquaquam obstrictus est, si probare possit, infantem ex illico suo complexu prorsus existere non potuisse. Necessarium vero non est, ut tempus Nativitatis accurate in tempus concubitus incidat. Quodsi enim infans, septimo, vel undecimo, vel initio demum duodecimi mensis nascatur, stuprator illum

D 2 pro

*) Richter part. II. dec. 18. N. 33. p. 249.
Werh. suppl. ad part. VII. obs. 85.



pro suo agnoscere atque alere tene-
tur *), nisi stuprata de fornicatione
cum aliis sit suspecta, quo in casu stu-
pratori alimentatio injungenda non est,
priusquam iuramento stuprata se a suspi-
cione, purgaverit. In nostris terris
ille pro patre infantis declaratur, si
stuprata elapsis post concubitum 29.
septimanis patiet **).

§. 29.

Cum exceptione congressus cum
aliis stuprator ab alimentatione partus
haud se liberare potest, ne quidem, si
probet, stupratam tempore conceptionis
cum pluribus rem habuisse; nam hoc
stupratae quidem ratione satisfactionis
nocet, partui vero nullo modo prae-
judicium facere potest: dum potius se-
cundum indubitata juris effata plu-
res

*) Beck de eo quod iust. est circa stuprum
p. 215 et 225.

**) Corpus Const. Brand. Culmb. P. II. vol.
II. p. 271.

res stupratores ad alimentationem partus in solidum obligati sunt *), nisi ex collatione temporis partus et concubitus probabiliter de patre constet, tunc is, qui praesumptive pater est, solus alimenta praestat. Etsi hoc ipso fori usu confirmetur, tamen I. C^{ts} Beck l. c. 198. opinionem contrariam defendit. Interim negandum non est, imprægnatam alimenta pro infante aliquando peterè non posse, si cum pluribus concubuerit, ideoque ipsamet tunc infanti alimenta praestabit, quae alias, patre non existente, spurium & vulgo quae-situm alere tenetur **).

§. 30.

Post mortem stupratoris ejus haeredes obligati sunt, infantem alere ***)

D 3

at

*) Quistorp. *Grundzäze des teutschen peinl. Rechts 8 Abschnitt* §. 482. p 756.

**) Surd. de aliment. Tit. 1. qu. 15. n. 11.

***) Boehmer in Iure eccl. prot. l. 5. T. 16.
§. 14.



at ab illis aequa minus, quam ab ipso
stupratore dependet, quo & quali mo-
do partum alere velint *). Nonnulli
Iuris C^{torum} affirmant quidem, patrem
& avum stupratoris, licet illius haeredes
non sint, obligatos esse ad alimentatio-
nem a filio aut nepote extra matrimo-
nium geniti infantis **). Alii vero de-
fendunt contrarium, & horum opinio
verior esse mihi videtur, quia 1) pater
respectu talis partus semper incertus
est, & si stuprator etiam illum pro suo
agnoverit, haec agnitione in tertii prae-
judicium haud vergere potest; quia 2)
pater aut avus ne quidem obligati sunt,
alimentationem infantis a legitima prae-
stare ***), dum leges de legitima vi-
ventis

*) Strick. us. mod. Tit. ad l. Iul. de adult. § 27.

**) arg. L. penult. de agnoscend. vel
alend. lib. de Boehmer ad Carpz. qu.
68. obs. 12. Rüdinger de avo pater. ad
aliment. nepot. illeg. praest. obstrict. Erf.

1729.

***) Wernh. Enunc. For. P. 1. Enunc. 211.
N. 7.

ventis tacent *). E contrario vero stupratae parentes vel avi de regula ad alendum infantem obstricti sunt **)
id valet tamen unice hoc in casu, si pater vel deficit, vel bonis ad praestanda alimenta careat.

§. 31.

Obligatio infantem alendi incipit
cum illius nativitate, quamvis nonnulli
statuant, quod post triennium demum
stuprator infantem alere teneatur secun-
dum versiculum:

mater alit puerum trimum, trimoque
minorem,
majorem vero, pascere patris erit:

obligatio tamen tunc demum cessat, quando partus se ipsum alere, vel opificium ad discere potest, communiter ad annum

D 4 duo-

• Thomas. de Legitima vivent.

**) arg. L. 5. §. 2. et L. 8. de agnoscend.
vel alend. lib. Hellfeld Iurisprud. forens.
§. 1280.



duodecimum completum *), quia puer idoneus & aptus jam videtur ad opificium, & sic sibi victum parare potest. Idem est in puella: aequo enim & illa ad servitia post 12. annum adhiberi potest. Haec obligatio autem tantum in se involvit mere naturalia sic dicta alimenta, quippe quae prorsus ad vivendum necessaria sunt, adeo, ut tali infanti alimenta civilia non porriganter **) plerumque tamen ad illa etiam referuntur puerperii impensae & lura stolae, ratione baptismi, quinimmo impensae funebres, si infans de vita discedat ***).

§ 32.

Quantum pecuniae alimentorum loco dandum sit? arbitrio iudicis relictum est, nisi alimenta in statutis sint

*) Stryk. us. mod. Tit. ad L. Iul. de adul. §. 23.

**) Wernh. P. III. obs. 49.

***) Lanterbach Coll. Theor. pract. Tit. ad l. l. de adult. §. 47.

sint determinata. Iure baruthino, stuprator 20. fl. frl. alimentorum loco ad cassam ergastuli solvere tenetur, de quibus, ut supra iam monitum, infans annuatim duos florenos a iudice, qui de stupro cognovit, accipit. Iure communi vero cessat quidem morte infantis etiam obligatio stupratoris ad alendum: distinguitur tamen, utrum certa pecuniae summa loco alimentorum sit promissa, an vero stuprator alimenta quotannis, vel singulis mensibus praestet? priori in casu, si certa summa pecuniae loco alimentorum promissa, tum integra ea debetur, quamvis infans post paucos annos moriatur: posteriori autem in casu, si nulla certa summa promissa, sed alimenta itatis temporibus infanti exhibentur, tunc, infante mortuo, mater alimentorum nomine nihil amplius a patre postulare potest *). Denegan-

D 5 tur

*) Finckelth. obf. 102. n. 25. seq.



tur quoque filio alimenta ob ingratiitudinem. Nam ex quibus causis filius exhaeredari potest, ex iisdem etiam ei alimenta denegari possunt *). Neque hoc contra naturam est, quippe ut natura aequum est, filium in lucem editum alere; ita rursum aequum est, filium esse memorem sui officii, ne paternam pietatem usque offendat. Ingratitudo enim tollit debitum Naturae. Et recte pieque scriptum reliquit Bernhardus, quod ingratitudo sit ventus urens, siccans fontem misericordiae, rorem pietatis & fructum gratiae.

§. 33.

Partus praecise apud matrem non est educandus, sed stupratori ejusve patri permitti potest, ut ipse partum recipiat & alimenta eidem suppeditet, modo

*) l. si quis a liberis §. item iudex ff. de agn. & al. lib.

modo securitatem praestet de partu
probe educando **).

§. 34.

Coronidis loco adhuc moneo, quod,
si nemo adest, qui ad partum alienum
de jure cogi possit, Iudicium ad alienum
in subsidium teneatur, nisi forsan
orphanotrophia & domus expositorum
sumtibus aut publicis, aut privatis, in-
stituta sint, qualia multis in locis in-
veniuntur. Instituta haec maxime lau-
danda sunt. Nam primo infanticidia,
si non omnia, multa tamen, impe-
diuntur. Quod si enim femina nimio
lasciviae oestro ducta ex concubitu
illicito gravidam se sentit, gravidita-
temque occultare potest, partum in
eiusmodi domum clam mittit, nec
honoris externi jacturam metuit. Eo-
dem modo evitantur quoque exposi-
tiones

**) Stryck us. mod. Tit. ad L. Iul. de
adult. §. 27.



tiones infantum, quorum vita in periculo est, si nemo de illis recipiens sollicitus, aut si iusto tempore non inveniuntur. Ut taceam, quod a voracibus bestiis quoque non sint tuti. Tandem et hoc commodum praestant, quod honoratores & ditiores partus suos clandestinos cum certis signis, quibus cognosci et suo tempore repeti possint, atque cum certa pecuniae summa ad eos melius alendos & bene educandos, in ejusmodi loca tuto mittere queant. Optandum esset, ut in generis humani solatium atque salutem ubique ejus fortis refugia existerent!

§. 35.

Discussis sic, pro virium mearum modulo, quae circa fornicationis et stuprationis delicta leges humanae et divinae positivae immo et consuetudines locorum statuunt, calamum posueram Sed quaestionis paßim ventilatae, quid jus naturae de his et simi-

similibus delictis disponat, recordans,
 labori manum denuo ut admove-
 rem, necessarium duxi. Ingenue au-
 tem statim ab initio profiteor, so-
 lutionem hujus quaestionis, propter
 infinitum Doctorum dissensum, maxi-
 me intricatae difficillimam mihi quidem
 videri. Ideoque historice potius, quam
 doctrinaliter, hanc rem paucis pertra-
 etabo. Sunt, qui eodem fere modo,
 quo juris Cti, de omnibus carnis de-
 lictis iudicant et jura divina cum hu-
 manis commisceant. Ut tamen melio-
 ribus armis pugnare videantur, multi
 recentiori aevo Ius divinum positivum
 universale effinxerunt, ad quod, tan-
 quam ad sacram anchoram, confugien-
 tes, iterum solam sanam rationem,
 quae unice Iuris naturae fons est, cum
 S. scriptura confundunt, indeque suas
 probandi rationes, quas tanquam ex
 tripode dictas magnificiunt, repetunt.
 Sed quoniam hic procedendi modus
 sanioribus non satis firmis niti visus
 est

pe-
 pien-
 non
 vo-
 tuti.
 ant,
 rtius
 nis,
 re-
 niae
 ene
 mit-
 in
 tem
 !
 rum
 et
 et
 audi-
 po-
 ren-
 et
 mi-



est principiis, ideoque illis minus arrisit, aliam ingressi sunt viam. Distinguendo scilicet gravissimi momenti quaestionem hancce solvere tentant.

§. 36.

Distinguunt nimirum inter statum primaevum sive originarium, et adventitium sive secundarium. In illo, si unquam extitit, considerantur homines, ut homines absolute spectati, in statu mere naturali, ubi segreges vixerunt, aut, si gregatim quidam interdum sociati fuerunt, hoc tantum more brutorum ad temporis spatium factum fuit. Quodsi igitur in eo statu mas cum foemina rem habuit eamque impregnavit, de alendo partu sollicitus neutiquam fuit, gravidam suo fato reliquit, et postquam libidinem suam exsatiavit, in alias, quando ipsi placuit, se contulit regiones. Hoc modo nullam quoque poenam metuere debuit. Qui hunc statum primaevum defendunt, afferunt quoque, quod

in

in illo nulla prohibitio graduum locum habeat, eoque ipso incestus inter delicta non sit referendus. Porro ex illorum sententia, abortus violentus, s. artificialis, mastupratio, omnisque vaga venus, quinimo ipsa sodomia cuiuslibet generis, vitiis aut delictis frustra annumerantur, cuilibet potius pro arbitrio suo libidinem suam quoconque modo explere licet, si modo sibi caveat, ut ne sanitatem corporis sui destruat. Quum status ille primaevus, ex sententia mea, nondum satis probatus est, conclusiones etiam inde deductae mihi semper dubiae erunt. Status ejusmodi ferus, quantum equidem intelligo, non modo cum ratione, qua Deus hominem ornavit, sed etiam cum S. scriptura, manifeste pugnat.

§. 37.

Ad statum hominum adventitium quod attinet, in illo consociati quidem vivunt, ita tamen, ut omnia dependant

inus
Di-
enti
.

tum
en-
un-
nes,
atu
nt,
so-
ru-
uit.
oe-
vit,
uit,
am
as,
es.
ne-
ae-
od.
in



deant a pactis. Quodsi igitur mas cum
femina, ex illorum opinione, societatem
init, & determinatur ab utroque, utrum
ad certum tempus modo, an perpetuo
ut socii coniunctim vivere velint; tunc
ab iis dependet, utrum partus suos alere
et educare, an vero illos exponere, aliis-
que, qui illos forsitan reperiunt & susci-
pere volunt, alendos & educandos per-
mittere decernant. Sed haec dura illo-
rum opinio mihi quidem non placet.
Talia enim pacta in infantum praejudi-
cium manifeste vergerent, aut saltim
vergere possent. Nam si nemo ejusmodi
expositos infantes ex misericordia reci-
peret, nullumque auxilium praestaret,
inopia, inclemencia coeli & hiemali tem-
pore frigus, vita illos privarent, aut
ab animalibus rapacibus devorari pos-
sent. Haec inhumana sententia igitur
non pugnat tantum cum regula illa:
pacta in praejudicium tertii non va-
lent: sed etiam cum principiis genera-
lioribus: conserva te & alios: et suc-
curre

curre cuilibet in necessitatis casu,
 ubi sine incommodo et periculo tuo
 fieri potest: quae principia ab illis do-
 CTORIBUS IPSIS DEFENDUNTUR. Sunt, qui
 statuunt, etiam in statu adventitio da-
 ri obligationes, quae non ex pactis,
 sed immediate ex legibus oriuntur,
 eoque referunt obligationem paren-
 tum alendi sobolem, sive legitima sit
 illa, sive illegitima. Illorum sententia
 mihi quoque placet. Nam, cum in-
 fans recens natus perire debeat, nisi
 ab aliis alatur, parentes autem sint
 illi, qui in causa sunt, ut infans in
 hoc necessitatis casu sit positus, et hic
 ipse status in relatione ad partum re-
 cens natum sit species damni, quod
 auctor damni resarcire debet; qui ejus-
 modi infantes in hunc necessitatis sta-
 tum redigunt, etiam obligantur ad
 eos ex hos statu eripiendos. Id quum
 non aliter fieri possit, quam alendo &
 educando, et parentes etiam sint, ii, qui
 procreatione sua liberos in statum necef-

E

sitatis



sitatis redegerint: Hi quoque naturaliter ad liberos, tum legitimos tum illegitimos, nolentes five volentes alendos et educandos obligantur. Neque crediderim, in statu prima vo rem aliter feso habere.

Kp 4199a

ULB Halle
005 360 013

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue

Centimetres

Farbkarte #13



I. L. HEINRICHMAYERI

SERENISSIMO MARGGRAVIO BRAN-
ENBURGENSI ET BVRGGRAVIO VTRIVS-
VE PRINCIPATVS NORIMBERGENSIS &
COMMISSIONIBVS REI MILITARIS ET
IVDICIS PRAEFECTVRAE BAYER-
DORFFIENSIS

TRACTATIO IVRIDICA

DE

IVRIBVS

ET

CONSVETVDINIBVS

FORENSIBVS

CIRCA

STVPRA ET FORNICATIONES



ERLANGAE

APVD IOANNEM IACOBVM PALM

clo Id cclxxxvii